

EPISTULA LEONINA

CXLV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXLIV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM QUINTAM (145) !

ARGUMENTA

1. SYMPOSIUM IN VALLE WIPPERAE HABITUM.....04-05
2. COLLOQUIA FRANCOFURTENSIA.....06
3. NARRATIUNCULAE PUERI MALE MORATI (II).....07-14
4. LIBENTI ANIMO (*Teresi*).....15-18
5. ECHUS VOCES (*Fritsch, Schönberger*).....19-21

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
centesimam quadragesimam quintam.*

*De duobus conventibus, qui fiunt Latinitatis recentioris causâ, tu ut certior fieres Epistulae inserui annuntiationes. Porro invenies alteram partem **Pueri male morati** a **Ludovico Thoma** scripti a Leone Latino togâ induti. Helluare, quaeso, carmine commentarioque a **Ioanne Teresi** compositis. In fine ne praetermittas epistulas ab **Andreâ Fritsch** de Symposio in Valle Wipperae habendo et ab **Axelio Pulchrimontano** de Cataloniâ scriptis.*

*Haec scripta omnia sunt documenta Latinitatis vivae lectu dignissima. Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam **145** tolle et lege et laetare et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Saturni, 11. m.Nov., a.2017



COMPELLE INTRARE

16. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. 17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. 18. Et cœperunt simul omnes excusare: Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam: rogo te habe me excusatum. 19. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa: rogo te habe me excusatum. 20. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. 21. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas, et vicus civitatis: et paupers, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc. 22. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. 23. Et ait dominus servo: Exi in vias, et sepes: et **compelle intrare, ut impleatur domus mea**. 24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Ecce pictura: **Carolus Magnus Magnam Columnam Saxonibus Sacram (Irminsul) curat destruendam. A.1880 pinxit Hermannus Wislicenus.**

Litterae recentissimae –

**Formen und Funktionen neulateinischer Literatur
vom 19. Jahrhundert bis zur Gegenwart**

**Internationales Symposium
an der Bergischen Universität Wuppertal**

9. – 10. NOVEMBER 2017
Campus Griffenberg,
ME 02 (Bergisches Zimmer)

**Klassische Philologie - Fakultät für Geistes- und Kulturwissenschaften
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL**

K O N T A K T: Jun.-Prof. Dr. Stefan Weise - Bergische Universität Wuppertal
Fakultät für Geistes- und Kulturwissenschaften, Klassische Philologie
Gaußstr. 20, 42119 Wuppertal Telefon: 0202 439-2252
E-Mail: weise@uni-wuppertal.de

9. NOVEMBER

14:00 – 14:30 Uhr Begrüßung

14:30 – 15:15 Uhr Wilfried Stroh (München)
Iosephus Eberle, C. Arrius Nurus, Ianus Novák – tricinium poeticum

20 min. Pause

15:35 – 16:20 Uhr Han Lamers (Leuven/ Berlin)
The short-lived journal 'Per lo studio e l'uso del latino' (1939 – 1942) and the fascistisation of Latin

16:20 – 17:05 Uhr Stefan Weise (Wuppertal)
Mors interpres vitae – Die Darstellung von Epikur, Petrarca und Erasmus im Morituri-Zyklus von Julius Stern (1865 – 1942)

20 min. Pause

17:25 – 18:10 Uhr Andreas Fritsch (Berlin)
Latinitas viva - Utopie und Realität
Möglichkeit zum Abendessen ab 19:45 Uhr (in M.09.01)

Abendprogramm:

Aufführung der Tragödie „Der gefesselte Prometheus“
durch Studierende und Mitarbeiter der Fachgruppe
Klassische Philologie an der BUW

10. NOVEMBER

9:00 – 9:45 Uhr Christoph Schubert (Erlangen)

Eine seltsame Blüte: Kinderbuchklassiker auf Latein

9:45 – 10:30 Uhr Stefan Freund (Wuppertal)

Lateinische Schuldichtung zwischen Frühindustrialisierung und humanistischer Tradition:
Zwei Geburtstagsgedichte auf Friedrich Wilhelm IV. in den Jahresberichten des
Gymnasiums Elberfeld

20 min. Pause

10:50 – 11:35 Uhr Xavier van Binnebeke (Leuven)

The Certamen Poeticum Hoeufftianum : from Diego Vitrioli to Olindo Pasqualetti

11:35 – 12:20 Uhr Nicholas De Sutter (Leuven)

Ignoto militi: the Theme of the Unknown Soldier in the Certamen Hoeufftianum

Mittagspause

13:30 – 14:15 Uhr Bas van Bommel (Utrecht)

Ein Kampf auf verlorenem Posten. J. J. Hartman (1851 – 1924), P. H. Damsté (1860
– 1943) und die Neubelebung des Lateinischen als literarische Weltsprache

14:15 – 15:00 Uhr Dirk Sacré (Leuven)

On the death of a young lady. A forgotten Latin poem (Rome, 1824)

Abschlussdiskussion

PROGRAMM

„O felix, cui Musa dedit deludere mortem:
vivere cras et heri scis hodieque simul.“

MODERATORES

**SODALIBVS COLLOQVIORVM
FRANCOFVRTENSIVM OMNIBVSQVE LINGVAE
LATINAE FAVENTIBVS**

SALVTEM PLVRIMAM ATQVE VNIVERSAM SVBEV.

**Proxima Colloquia Latina Saturni diebus 4^o mensis
Novembris et 2^o mensis Decembris anno Domini
2017^o, horā 20^a, instituentur.**

**Conueniemus in cauponam hanc: Restaurant
Adler, Ginnheimer Hohl 2 A, 60431 Frankfurt am
Main, num. tel.: 0 69 / 52 09 81,
www.zumadler.net.**

Cura, ut ualeas!

**Mechtildis Hofmann, Immanuel Piscator, Axelius
Pulchrimontanus moderatores**

**Datum Francofurti die 31^o mensis Octobris anno
Domini 2017^o**

**Prof. Dr. Axel Schönberger
Im Geeren 125
D-60433 Frankfurt am Main
Fax: +49 (0) 69 / 53 05 38 46
lusorama@gmx.de**

NARRATIUNCULAE

PUERI

MALE MŌRATI

(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS



LUDWIG THOMA

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimê calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi systema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male môrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



Narratiunculae pueri male môrati

Iuvenis quae expertus sim

PARS ALTERA (II)

De primo amore meo

Diebus Dominicis semper mihi licebat venire ad *Dominum de Rupp* apudque eum sumere prandium. Qui fuit vetus attae amicus venatorius et apud nos ei iam saepe contigerat, ut cervum feriret. Apud eum bellê me habebam. Qui mecum paene agebat tamquam cum domino et prandio finito semper mihi sigarum dabat dicens: »Quod certê bene patieris. Pater quoque tuus fumabat tamquam hamaxa vaporaria«. Tum ego eram valdê superbus.

Domina de Rupp domina erat tam vehementer nobilis, ut loquens ôs acueret theodiscum sermonem êdens superiorem. Quae me semper monebat, ne ungues roderem et ut verba bene pronuntiarem. Praeter eos aderat filia. Quae erat valdê pulchra et admodum bene fragrabat. At haec puella me non magni faciebat, quia quattuordecim demum annos habui, et illa semper loquebatur de saltationibus et concentibus musicis deque quodam cantore bellissimo. Interim narrabat, quae facta essent in scholâ bellandi. Puella haec audiverat e signiferis, qui eam visitabant acinacibus per scalas crepitantibus.

Saepe exoptabam, ut praefectus militum iam essem, ut puellae placerem, sed ea me tractabat tamquam puerum stupidum et semper turpiter irridebat me sigarum attae sui fumantem.

De hac re cum saepe stomacharer, amorem puellae suppressibam cogitans, si ego natu maior bello aliquo finito domum rediissem, fortasse fore, ut illa gauderet, sed ego nollem.

Hac re exceptâ cum apud Dominum de Rupp bellê me haberem, vehementer gaudebam omnem diem Dominicum et prandium necnon sigarum exspectans.

Dominus de Rupp rectorem nostrum cum bene novisset, saepe cum illo colloquebatur commemorans me sibi gratum esse cum familiâ suâ conversantem meque certê factum iri venatorem tam probum quam fuisset pater meus. At non puto me a rectore laudatum esse, nam Dominus de Rupp saepius mihi dicebat: »Sciat diabolus, quid tu agas. Videris mihi esse verus vulpio exsecrabilis, cum professores te tam vehementer vellicent. Cave ne modum excedas«. Attamen aliquando subito res quaedam accidit.

Haec res sic acta est. Quandocumque horâ octavâ matutinâ oecum classarium adibam, veniebat filia pedelli nostri, quia ea institutum frequentabat. Quae puella erat valdê bella et habebat duos capillorum nodos, quibus affixae erant taeniae rubrae, et iam habebat mammas. *Raithelius* quoque amicus meus semper dicebat istanc puellam esse mirabiliter mammosam et sanê bellulum bacciballum.

Primo non ausus sum illam salutare; at semel cum ausus essem, illa vehementer erubuit. Animadverti autem illam me exspectare, cum retardatus essem. Puella enim ante domum consistebat et inspiciebat tabernam biblioegi, usque dum venirem. Deinde cum puella comiter subrideret, statui, ut illam alloquerer.

At corde nimium palpitante id non assecutus sum; aliquando illam accessi propinquissimam, sed cum apud illam essem, nihil feci nisi screavi illamque salutavi. Nam fuerunt fauces meae rauciores, quam ut loquerer.

Raithelius autem me irrisit dicens non magnum esse inceptum iuenculae amorem petere. Se cottidie posse illarum alloqui tres, si cuperet, sed sibi omnes esse nimis stupidas.

De hac re multum deliberabam, ubicumque ab illâ aberam, sentiebam perfacile esse illam alloqui. Illam enim pedelli tantum filiam esse, meque quintae iam classis latinae discipulum. At ubicumque illam conspiciebam, res perquam mira erat neque fieri poterat, ut puellam alloquerer. Tum subiit mihi idea bona. Epistolium enim puellae scripsi. Me illam amare, sed timere, ne animus illius laederetur, si illam alloquerer amoremque meum confiterer. Si illi amor meus esset gratus, mucinnium ut manu gestaret idemque ut ori admoveret. Hoc epistolium inserui Caesaris De Bello Gallico commentariis traditurus, si mâne illam reviderem.

At hoc fuit etiam difficilium.

Primo die omnino non conatus sum; postridie epistolium manu tenebam, sed illâ veniente celeriter inserui sacco bracarum.

Raithelius dixit tradendum mihi esse epistolium puellae et quaerendum, num illa idem amiserit. Hoc firmê mihi proposui, sed postridie illa vênit cum amicâ suâ, ideoque res denuo fieri non potuit.

Itaque animo miserrimo epistolium iterum inserui Caesari meo.

Ut me punirem propter ignaviam meam, mihi ipse in honorem meum pollicitus sum me nunc tandem illam allocuturum eique omnia confessurum insuperque epistolium traditurum.

Raithelius dixit mihi nunc esse agendum, nam alioquin me esse racam nequissimum. Hôc intellecto animo fui firmissimo.

At in scholâ subito vocatus sum, ut pergerem recitare. Cum autem de Mariâ cogitassem, ne capitulum quidem scivi, quo recitare desieramus, ut vehementissimê erubescerem. Professor, qui me semper in suspicionem vocaret, hoc animadvertens ad me accessit.

Ego autem rapidê folia libri pervolvens puero iuxta me sedenti calcem impegit. »Quonam loco stamus? Fac dicas tu turpissime!« Iste

baburrus submissius susurravit, quam ut intellegerem, et professor iam fuit iuxta sedem meam. Tum subito epistolium cecidit ex meo Caesare, ut iacêret in pavimento.

Quod inscriptum erat chartae rosaceae et pulvere inspersionum erat fragrantissimo.

Celeriter volui epistolium pede calcare, sed hoc non iam contigit. Professor enim dorso flexo epistolium sustulit.

Primo îdem me aspectavit oculis tam emissiciis, ut forfice possent resecari. Deinde epistolium aspiciens odorando perquisivit, tum lentê ex involucro exemit. Hoc faciens professor me etiam etiamque torpidioribus oculis aspectavit, ut appareret, quam vehementer gauderet, quod aliquid deprehendisset.

Primo magnâ voce recitavit coram totâ classe.

»Dominula amatissima! Iam saepe volui tibi appropinquare, sed non ausus sum, quia cogitavi fieri posse, ut animus tuus laederetur«.

Deinde professor vênit ad illum locum, ubi mucinnium commemoraveram, et tantummodo murmuravit, ne alii audirent.

Et deinde capite nutavit sursum et deorsum, et tum perquam lentê dixit:

»Miserrime, i domum. Cetera audies«.

Tam vehementer iratus eram de stultitiâ meâ, ut vellem libros meos parieti adicere. At cogitavi mihi nihil mali imminere. Nam epistolio nihil mali inscripseram: nihil nisi me amore captum esse. Hoc nequaquam spectare ad professorem.

Tamen res mihi evasit quam pessimê.

Postridie statim mihi eundum fuit ad rectorem.

Qui secum attulerat librum magnum, in quo omnia stenographavit, quae dixi. Primo me interrogavit, cui epistolium scripsissem. Dixi me hoc scripsisse nemini. Me hoc scripsisse tantummodo delectamenti

causâ. Tum ille dixit istud esse mendacium infame meque non solum esse puerum malum, sed etiam ignavum.

Tum ego iratus sum dicens epistolio nihil inesse turpe, illam esse puellam probam. Tum ille tam vehementer risit, ut apparerent duo dentes molares flavi, quia me prodideram. Nec ille desiit ex me quaerere nomen puellae. Nunc cum nihil iam curarem, dixi nullum virum probum nomen prodere, neque umquam me hoc esse facturum. Tum ille me aspexit oculis fallacibus librumque raptim clausit. Deinde dixit: »Tu es planta corrupta in horto nostro crescens. Nos te evellemus. Mendacia tua tibi non prosunt. Bene scio, cui hoc epistolium scripseris. Exi foras!«

Mihi redeundum fuit in classem, et post meridiem facta est conferentia. Rector et magister religionis voluerunt me dimittere. Hoc pedellus mihi dixit. At ceteri me adiuverunt, neque punitus sum nisi octo horis in carcere degendis. Has passus essem sine ullâ molestiâ, nisi cetera ista secuta essent.

Nonnullis enim diebus post epistolam accepi a mammâ meâ scriptam, cui adiecta erat epistula a Domino de Rupp scripta, qui scripserat se dolere, quod ego a se non iam possem invitari, quia rector se certiore fecisset me filiae suae scripsisse stultum epistolium amatorium. Se ipsum hac re non offendi, tamen me famae nocuisse filiae suae. Necnon mamma scripsit se nescire, num ego umquam fierem vir probus.

Equidem animo non compos fui prae istâ diffamatione impudentissimâ; primo flevi, deinde volui a rectore rationem huius rei reposcere; sed tum re deliberatâ ii ad Dominum de Rupp.

Famula autem eius dixit neminem domi esse, sed hoc non fuit verum, quia foris audivi vocem Dominae de Rupp. Iterum vênî, et nunc adfuit Dominus de Rupp. Cui omnia narraui quam accuratissimê, sed cum finivissem, ille oculo sinistro raptim clauso: »Tu quidem« inquit »es verus vulpio execrabilis. Equidem istam rem nequaquam curo, sed curat uxor«. Deinde sigaro mihi dato dixit, ut abirem nunc domum animo perquam quieto.

Qui mihi ne ullum quidem verbum credidit neque umquam me invitavit, quia nemo credit fieri posse, ut mentiatur rector.

Semper creditur mentiri discipulus.

In honorem meum iuravi me istum rectorem esse mulcaturum, si adissem universitatem studiorum, istum furciferum sordidissimum.

Per longum tempus non iam laetatus sum. Aliquando autem incidi in Dominulam de Rupp. Quae unâ cum nonnullis amicibus ambulabat; me conspecto una aliam cubito impellens riserunt. Necnon conversae etiam etiamque me irriserunt.

At equidem si universitatem adiero studiorum et alumnus academicus corporalis si factus ero, et illae mecum saltare voluerint, ego istas beluas stultas sedentes relinquam nullo modo respectas.

Tum istas non flocci faciam.

Libenti animo

Floribus habebat caput ornatum,

oculos luce fulgentes,

iuvenilia membra consona

incessui levi...

Crispia Salvia accipiebat felix

inter candida bracchia

Julium Demetrium, sponsum amatum.

In singulos dies gaudebat delicato amore;

eodem gaudio contentus erat Juppiter,

qui per partem terrae illam circumscriptam

sparsit flava frumenti et florum semina.

Sol visus est per omnia tempora

moratus esse Lilybaei et ventus

fuisse semper furens limpidas

ut undas blandiretur.

Crispia Salvia, mulier dedita,

sponsum suum diligenter curabat;

dulcedine et unguentis

domum replebat; mali Punicae

fructibus, pretiosis gemmis, et variis,

exornabat elegantem mensam.

Ad laetitiam celebrandam veniebant convivae

extollentes mirabile nectar

ad singularem eorum amorem...

Quid sumere hunc colorum contextum poterat

nisi pavonis formositas consonans?

Plumis comis ornatis,

circulos ridentes pedibus pingebant puellae,

velo caeruleo vix tectae;

etiam caelum musica aetheria et erranti,

aureas glebas mirans,

amorem eorum libentem circumdabat.

Fatum eripuit pulchram Salviam imperturbatum

e sponso, sicut florem recisum.

Noluit Julius morte erasa

omnia esse, inde ad principium

se vertit animo sedato...

Etiamsi tristi, amor eorum non poterat

e terra vane arreptus esse: ita

in eius gremio iuvenilia membra posuit.

Inde omnibus eam recordantibus ornavit

muros arenosos et tempori subtraxit

memorabili pictura festivas mensas,

oscula et blanditias dulcissimas.

Florent nunc flavae gemmae

in aridis glebis; saxa dura,

non animum libentem, poliunt

ventus et pluvia.

Johannes Teresi

Est locus pulcherrimus Lilybaei, prope magnificum litus, olim opificium aptum ad fructus vitis tractandos, hodie museum mirabile custodiens celeberrimam navem Punicam. Ibi etiam inveniuntur inscriptiones funerariae: ex his una maxima adlexit poematis huius auctorem cippi decoribus iucundis (scena conviviali, praesentia pupulorum, et aliis huius generis).

Quoniam cippus collocatur aetate christiana (primis annis post initium doctrinae Christi propagationis), et cum elementa in hac inscriptione talia sint, ne manifestent alia signa quam propria descriptionis morum non christianorum. Qui se oblectavit convertendo poema originale in formam latinam, ducitur his causis ad fictam imaginem creandam. Ita coniuges inscriptionis facti sunt adepti neoplatonicae doctrinae; videlicet vir, natus antiqua stirpe, educationi suae adhaerere non desinit, etiamsi ventus flat et dirigit ad mores «tristissimos»; vivit tamen cum uxore ei deditissima, laetus, fidelis, spei plenus usque ad momentum Fati decreti. At viro spes mirabilis est: nam scit «principium individuationis» esse formam transeuntem, non propriam Mundi Intellegibilis, de quo omnia descendunt et cadunt in materiam. Propter hoc non sperat se visurum formam transeuntem, circumscriptam modo humano, sed potius se consolatur aestimando uxorem amatam facturam ἰδέαν, id est principium intellectionis: «Fiat igitur unum, ut videat unum, magis autem ut non videat unum, nam si id videret, videret intellegibile et non quid est trans intellectionem et cognosceret quandam unitatem et non Unum in se «(Proclus, Prov. 31,11). Sed nonne possumus dicere amorem erga uxorem esse «amorem Unius inextinguibilem (In Parm.)?»

Ultimum poema dicatur amori: in hoc si excipimus aliqua elementa, quae pertinent ad hominem et non ad tempora, persuademus nobis ea esse aeterna (cor, memoriam, vitam post mortem). Sed clarum est poetam esse cuiusdam temporis et sentire modo proprio temporis sui. Secundum divisionem compositi humani, amor non spectat ad mentem, sed potius ad animum (θυμόν), qui adaequatur mutationi condicionum temporis. Ob hanc causam amor considerandus est sub incerto aspectu, quia dependet de solis condicionibus temporum.

Hodie, exempli gratia, greges amant non animo, sed corpore, quod est magis in imo.

Secundum antiquorum scientiam tamen consideratio amoris similis est cogitationi pulchritudinis: duplex est species secundum humanum et divinum.

Et hodie greges agnoscunt hoc discrimen et maxima ignorantia inclinant ad beluae mores.

E contrario dicendum est contra opinionem communem et gregis propriam esse modum habendi mores perfectum, scilicet modum non pertinentem ad animum errantem secundum tempora et intellectum, qui spectat ad solum modum divinum (est Unum in se et Unum in nobis). Eadem causa non est unica origo pulchritudinis et divisio eius est secundum considerationem amoris. At quis potest comprehendere

veritatem purissimam, nisi ii, qui diriguntur intellectu secundum praecepta Evangelii Johannis et doctrinam gnosticam ad generis humani pertinentem? In hoc poemate invenimus aliqua elementa, quae ducunt ad quandam interpretationem spiritualem.

Demetrius amat uxorem non certe (vel non solum) amore carnali: hic amor non dilabitur nec e terra nec e corde, sed quantum magis se vertit ad Principium. At oportet dicere vitam conjugalem Demetrii non strictam esse vinculis extremae negationis: haec vita contra plena fuit diebus festivis, gaudio summo, amicitia conviviali.

Nunc Salvia non est, corpus eius iacet in terra Fato ereptum ex amore mariti. Demetrius scit corpus uxoris, etiamsi pulcherrimum, fuisse non quod potuit exprimere secundum rem archetypum, sed quod potuit adaequari ei (id est in forma). Nunc pars superior compositae uxoris redivit ad Mundum Intellegibilem, postquam transivit per Animam Mundi descendens ad materiam vilem. Exsecratio materiae non est similis vituperationi christiana ducenti ad peccatum, id est ad malum extremum. Secundum modum neoplatonicum sunt gradus divinitatis: ita materia non est malum, sed separatio de mundo superiore deorum.

Johannes Teresi

ECHUS VOCES

d.31.m.Nov. a.2017 h.18:31

Andreas Fritsch Nicolao Groß sal. plur.

Plurimas maximasque tibi, virorum optime, ago, quod nos, quod me quoque subinde epistulis tuis Leoninis donare soles. Admiror identidem scientiam et industriam tuam. Sic nova et vetera coniungis, ut cultorem Latinitatis decet.

Diebus nono decimoque mensis Novembris habebuntur in universitate studiorum, quae est in urbe cui nomen Wuppertal, acroases, quibus tractabuntur "Litterae recentissimae":

https://www.latein.uni-wuppertal.de/fileadmin/latein/Flyer_Litterae.pdf

Ibi ego quoque loquar (Theodisce) de argumento "Latinitas viva - Utopie und Realität" et in schedula, qua titulos librorum et inscriptiones electronicas ad rem pertinentes composui, etiam Epistulae Leoninae commemorabuntur, quia tu non solum fautor, sed etiam auctor Latinitatis es. Sic te oro, ut hoc munus exsequi et mihi quoque favere pergas.

Ceterum Te cum Tuis bene valere spero et opto.

d.3. m.Nov a.2017 h.20:11

Nicolaus Andreae sal.pl.dic.

Plurimas gratias tibi ago, care Andrea, quod pausâ longiusculâ interpositâ me certiore facis de studiis tuis Latinissimis. Valdê gaudeo, quod occasione fruêris in Valle Vipperae de Latinitate vivâ acroasin faciendi; scilicet plurimum gaudeam, quod Epistulas Leoninas commemorabis.

Rectê intellexisti me Latinitatem colentem semper velle nova cum veteribus coniungere, ut demonstrem, quantum valeat haec lingua. Ceterum omnes EL invenies in interreti sub hac inscriptione, quae sequitur: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/> In EL 100 invenies indicem argumentorum, quae insunt Epistulis Leoninis 1-100.

Programma symposii Vuppertaliensis iam inserui proximae Epistulae Leoninae (145, quam perendie editurus sum). Ceterum loquetur etiam quidam Erlangensis de libris puerilibus Latinê redditis. Bene nosti tales versiones, quales iam complures feci (Mynchusanum, Hotzenplotzium, Crabatum, Parvum Nicolaum) mihi cordi esse.

10. NOV. 9:00 – 9:45 Uhr Christoph Schubert (Erlangen): "Eine seltsame Blüte: Kinderbuchklassiker auf Latein". - Quatenus talis interpretatio Latina Schubertio videtur esse "mirus flos" ("eine seltsame Blüte")?. Rogo te, ut referas mihi proximâ occasione de illâ acroasi Schubertianâ.

Utinam in Vallem Vipperae bonum commodumque iter facias, utinam ibidem acroasis tua tibi succedat quam felicissimê! Haec hactenus, mox certê plura. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutatur Nicolaus LEO LATINUS

d. 31 m. Oct a. 2017 h. 20:11

Axelius Nicolao s. p. d.

SVBEV

Tibi petitionem meam Latinam pro pace in Hispania indicem: <https://www.change.org/p/jean-claude-juncker-cataloniae-adsimus-pro-iure-autodeterminationis-pacificae>

Versio Germanica alio loco invenitur: www.change.org/Katalonien

Fortasse hanc petitionem et tu signabis?

Perhumaniter te salutat

Axelius

d. 11 m. Nov. a. 2017

Nicolaus Axelio sal. pl. dic.

S.V.B.E.E.V.

Care Axeli,

gratias plurimas tibi ago pro colloquiis Francofurtensibus indicatis et petitione tuâ Catalanianâ missâ. Semper maximê aestimabam studia tua Latinitatis flagrantissima.

Bene intellego te linguis gentibusque romanicis deditum Catalanorum sermonem litteraturam cultumque civilem fovere et servare velle. Scilicet me quoque commotum esse verbis anglicis, quae bellula illa puella Catalana fecit de libertate suppressâ et independentiâ sive (ut ais) autodeterminatione pariendâ. Scilicet me quoque indignatum esse de vigilibus publicis, qui Catalanos suffragia laturos fustibus mulcarent.

Tamen quod ad illam petitionem pertinet, confiteor me maioribus scrupulis atque dubitationibus vexari quam ut illi subscribam. Nam nuntios complures accepi, quibus fama separatistarum obscuraretur. Non enim omnia sunt aurea quae fulgent obtutu primo. Audiatur et altera pars. At fortasse tu rerum Catalanicarum peritior omnes istos nuntios scias redarguere.

A variis diurnariis refertur:

1. - *Jordi Pujol* summum separatistam esse virum obscurum compluries propter corruptionem pecuniaeque lavationem accusatum

<http://www.mena-watch.com/mena-analysen-beitraege/kalifat-katalonien/>

2. - sermonis Catalanici servationem vel redanimationem fieri methodis parum probis parumque humanis. Separatistas publicê flagitare, ut homines catalanicê non loquentes denuntientur. Damna et impedimenta afferri hominibus linguae catalanae imperitis.

3. - non solum magistratûs gubernationis, sed eorum cognatos et familiares offendi; discipulos, quorum patres sint vigiles publici, a magistris coram classe filios meretricum appellari. Denuntiationem publicê commendari, suspensiones et dissidia societatis augeri.

<https://www.tichyseinblick.de/kolumnen/aus-aller-welt/katalanische-regierung-verliert-die-beherrschaft/>

4. - Georgium Soros pecuniâ adiuvere separatistas. Pro certo autem habeo ibi, ubi iste polypus pecuniosissimus sub praetextu "societatis apertae philanthropicae" conditae miliardas suas effundat, nil boni posse crescere; Sorosius enim speculator pecuniae potestatisque

cupidissimus ubique ferê terrarum oeconomias perturbat, integras nationes reddat pauperes, fovetque immigrationem massalem et turbationes bellaque civilia.

<http://ramblalibre.com/2017/10/02/movimiento-separatista-catalan-lleva-la-cara-de-george-soros/>

5. - Separatistas his 30 annis, ut deminutionem Catalanorum natorum compensarent et immigrationem hominum hispanicê loquentium impedirent, vehementer fovisse immigrationem muslimorum Maroccanorum Pacistaniorumque. Itaque Cataloniam nunc esse islamistarum radicalium refugium et propugnaculum principale. Haud forte fortunâ attentationem illam tromocraticam diei 17. m. Aug. huius anni ab islamistis (qua 17 minimum homines sunt interfecti) factam esse Barcinone in Cataloniae urbe principali; nam hanc urbem interim post *Meccam* et *Medinam* fieri tertiam ex tribus metropolibus Islamicis: *La Monumental*, arenam quondam tauromachiae Barcinonensem, a phylarcho quodam Catariano (*Tamim bin Hamad al Thani*) emptam pro 2,3 miliardis euronum transformatum iri in meschitam muslimicam giganteam.

<https://www.welt.de/politik/ausland/article167799269/Hier-in-Katalonien-konzentriert-sich-eine-riesige-Gruppe.html>

<https://spanienleben.blogspot.de/2013/08/katalonien-wird-islamisiert-alamierende.html>

<http://eussner.blogspot.de/2015/03/islamisierung-europas-von-katalonien-aus.html>

Hos nuntios, care Axeli, accepi de Cataloniâ scriptos; si tu condicionem huius terrae melius et accuratius habes perspectam, facias, quaeso, me certiolem; libentissimê legam verba tua. Ceterum intimo ex corde exopto, ut pax fiat in Cataloniâ et maneat inter nos, oh care defensor Latinitatis vivae indefesse.

Vale pancratice et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

Nicolaus.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM QUINTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Saturni, 11. m.Nov. a.2017

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>